

dam necessitatem, adeoq; esse causam rerum futurorum. Respondetur, distingvendum hic esse inter causam illationis & consequentie, & inter causam essendi sc. rei. De causa Illationis conceditur, quod sc. res futura & præscientia divina sibi mutuo sint causæ inferendi, & unum ex altero per bonam consequentiam sequatur; sic enim bona est consequentia, si dicam: si DEUS præscivit, rem esse futuram, sequitur, quod res sit futura, & vicissim: si res futura est, sequitur, quod DEUS eam futuram esse præviderit. Sed tamen negatur, quod DEI præscientia sit causa rerum futurarum essendi, ratio est, quia omnis scientia sc. divina, sc. humana, presupponit suum subjectum, quod cognoscit, non efficit ac producit illud, non ergo potest esse illius causa essendi. Consequentia ratio patet, quia nunquam posterior est suo effectu. Nostro igitur intelligendi modo prius concipiuntur objectum, quam illius cognitione.

§. Ad primè consentit huic doctrinæ Mendocia disp. 19. de anima sc. 2. §. 50. hæc, scribens, bona est causalis: Ideò DEUS videt futurum, quia sunt futuri, & ideo propositio hæc vera est, quia ejus objectum est futurum. Hæc autem causalis est mala: Ideò objectum est futurum, quia à DEO videtur, aut quia propositio est vera. Sicut enim quando nos videmus, Petrum ambulare, nullam ipsius ambulationi necessitatem imponimus, quia illâ ratione nostram visionem, præcedit: Ita similiter visio DEI sc. præscientia ipsius nullam contingentibus futuris necessitatem intert, cùm eam ratione & nostro concipiendi modo futura contingentia quoque præcedant, nec DEUS illa prævidere possit, nisi prius ut futura presupponantur. Quod si igitur necessitas hic quædam statuenda sit, ea nulla erit alia, quam suppositionis sc. consequentie ut vocant, quam optime cum rerum contingentia stare, posse docent Metaphysici passim.

§. Qui alterum errorem sovent & omnia contingenter, nihil necessariò fieri putant, illi ita argumentantur: Quicquid ita est, ut possit etiam non esse, illud est contingens. Sed omnes effectus causarum secundarum ita sunt, ut possint etiam non esse. E. omnes effectus causarum secundarum sunt contingentes. Major constat ex descriptione r. contingentis. Minor probatur, quia omnes effectus causarum secundarum possunt impediri à causa prima, subtracto sc. generali suo concurso, atque ita possunt non esse.

§. Verum enim verò distingvendum h. l. (1.) est inter necessarium, quod sua necessitatis aliquam causam agnoscit, & quod utique per DEI potentiam potest impediiri; & deinde inter necessarium, quod necessitatis sua causam nullam agnoscit, diciturque necessarium simpli-citer, & hoc ne à DEO quidem immutari aut aliter fieri potest, sic ut sit vel fiat homo, necessarium est, ut constet anima rationali & corpore organico, & ita quidem necessarium, ut à DEO aliter fieri non possit. (2.) effectus causarum secundarum quod concernit, possunt & illi considerari dupliciter, vel in ordine ad

causam primam, & sic utique omnes sunt contingentes, quia DEUS liberè concurrebit cum causis secundis ad quoslibet earum effectus, ita ut possit etiam non concurrere: vel in ordine ad causas secundas, & sic quemadmodum causæ secundæ duplicitur sunt, alia sc. naturales, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non possunt non agere; alia verò libera, quæ ita producunt effectus suos, ut possint etiam illos non producere: ita, inquam, fit, ut effectus quoque duplices sint: alii necessarii necessitate sc. physica, alii verò contingentes.

§. Notandum tamen adhuc, quando diximus, effectus causarum secundarum DEI respectu posse, impediiri, adeoque sic absolutè loquendo non esse necessarios, sed contingentes, quod distingvendum adhuc sit inter potentiam DEI absolutam & potentiam DEI ordinatam. Per potentiam DEI absolutam fieri quidem potest, ut effectus, qui alias necessarii sunt necessitate physicâ, impediiri & adeo produci & non produci possint, at verò respectu potentiae DEI ordinatae aliter statuendum est, ita enim DEUS concurrebit cum causis secundis, extra ordinem à se primitus institutum, atque ita ordinata potentia non tollit rerum necessitatem vel contingentiam, sed concurrebit DEUS cum quilibet causa secundâ, pro ipsius materia & modo agendi.

§. Cæterum contingens propriè ita describit Aristoteles, quod cum non sit necessarium, si tamen ponatur esse, nihil inde sequitur impossibile. Quâ definitione comprehenditur non tantum id, quod alias strictè Aristotelî contingens dicitur, & distinguitur à possibili, sed etiam ipsum possibile, quod sic non est, esse tamen potest. Considerantur autem h. l. contingentia ac necessitas effectu in ordine & respectu ad causas secundas, & sic, si causa secunda proxima sit agens liberum, dicitur effectus contingens ab intrinseco, quia manat à causa, quæ ex vi intrinseca effectum ita producit, ut eundem etiam possit non producere: ita quod contingens est, dicitur Aristotelî contingens aequaliter; ipsa verò contingens dicitur intrinseca, quia ab intrinseca libertate agentis dependet, & rectè potest etiam ipsi DEO tribui, respectu operationum ad extra. Quod si verò causa est naturalis, quæ ex sua intrinseca vi, positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, illius intuitu effectus non contingens, sed necessarius est, necessitate Physica. Accidit tamen, ut causa naturalis in agendo quandoq; impediatur ac deficiat, vel ex imperfectione aliqua vel ex defectu alicujus præquisiti, & sic effectus à causa naturali non producitur, & hanc contingentiam vocant extrinsecam, quia hoc, quod effectus non producitur necessariò, sed potest etiam non produci, non provenit ab intrinseca virtute cause naturalis & proxima; sed ab intrinseco quodam impedimento. Unde hujusmodi contingentia extrinseca eo ipso, quod imperfectionem in agente arguit, non potest DEO ipsiusque actionibus tribui.



## TABU-